(25.) 6687

PRIMITIÆ,

SIVE

ORATIO

HABITA OXONIAE IN SCHOLA THEOLOGICA *NONO NOVEMBRIS.*

ET

CONCIO LATINA AD BACCALAUREOS DIE CINERUM.

Per SAMUELEM FELL Præbendarium Ecclesiæ Christi, & Publicum Professorem in Theologiâ, pro Dominâ MARGARETA *Comitissâ Richmondiæ.*



OXONIÆ,

Excudebant IOHANNES LICHFIELD, & GULIELMUS TURNER, 1627.


BRITISH MUSEUM



PRIMITIÆ.



FLorentissimi Academici, Viri fratres in Christo mihi intimè dilecti. Prodeo jam tandem non tam merito aut arbitrio meo, quam beneficio & favore vestro, in hanc lucem Academicam; ad cujus aspectum animus fugit, oculi planè cæcutiunt. Non enim me latet, quantum onus expectationem vestram non dicam explere, sed ferre, quantum opus in hoc nobilissimo studiorum gymnasio, celeberrimo Europæi orbis emporio, merces, præsertim sacras, non terrâ marive advectas, sed cœlitùs dilapsas propalare. Professoris enim vestri nomen grande aliquid pollicetur, non tantum apud vos dicere, quod quivis ex Rhetorculorum familia facilè potest, sed dictare, quod istius loci & instituti proprium est, nodôs solvere, gryphos & strophas diluere, scrupulos eximere, *Antichristo* regnanti, *Iesuitæ* grassanti, *Pelagiano* insidianti, omnibus simul conjuratis Ecclesiæ hostibus bellum indicere. Quod si periculum non esset, eminentia certè istius dignitatis me planè exanimaret, neq; tam ornare, quam onerare videtur, cum veneranda antiquitas Doctoris cathedram

cum tribunali Iudicum, aut principum ſolio compararit.

Illud etiam accedit infortunij, quod ſæpiùs antehac ſummâ cum lætitiâ recolere ſolebam, præclara anteceſſoris merita; quæ tanta ſunt, vt non acuant ſtudium, ſed planè obruant; qui per quatuordecim annos in hoc curriculo magnâ cum laude ſuâ, & fructu veſtro deſudauit. Flos Doctorum, & purpuratorum gemmula, ὀρθοδοξίας genius, & veritatis ſacræ myſtes integerrimus, vir natus ad reformandos Academicorum mores, effigie quadam vitæ, cui vis plaſtica & formatrix inerat, ita factus ad informandos hominum animos, vt ſplendidâ doctrinæ face toti Chriſtiano orbi præluceret. Sed reprimo me ab iſtâ laudandi intemperie, vbi libenter luxuriari oratio velit. Etſi enim ita in confinio mortis nuper fuit, vt nihil reſtare videretur, præter extremum beati ſpiritus halitum, quem Deo multis teſtibus commendatiſſimum eſſe voluit; nondum tamen ad plures abijt, (in quorum laudibus liberè expatiari licet) aut ſi mortuus, certè reſurrexit, ſepultus fateor, ſed in Bibliotheca, nondum vermium eſca, ſed ipſe literatus quidam vermiculus, librorum tinea, novo appetitu volumina dum condit, rodit, vbi exemplo ſuo, & ſcriptis quæ meditatur magis conſpicuus, quàm aut hominum ſenſibus, aut populari plauſu, aut elumbi oratione mea, quæ nihil addit, aut confert laudando, ſed à laudati meritis lucem, & vires mutuatur. Macte eſto Venerande ſenex, ſi non ſcholæ, cui nunciū remiſiſti, ſaltē Eccleſiæ diutiſſimè ſuperſtes; mihi ſucceſſoribuſq; noſtris conqueri licet, de non ferendâ injuriâ quâ nos omnes oneraſti, exemplo ſcilicet tanto, tamq; eminenti, cui ne ſomniando quidem, ſimiles vnquam futuri ſimus.

Paren-

Parentavi paucis (benevoli Auditores) anteſignano, & patri meo clariſſimo *Benfeildio*. Iuſta illi ſolvere nec vnquam poſſum, neq; adhuc debeo. Date veniam, vt eodem pietatis affectu, verbo litare poſſim lectiſſimæ Heroinæ, MARGARETÆ *Comitiſſæ Richmundiæ*, Lecturæ iſtius Fundatrici; ex cujus vtero prodijt HENRICVS ſeptimus Regum πολιτικώτατος, inteſtini illius & fatalis belli mora ac periodus; cujus adhuc manu aluntur homines dirimendis litibus, & pugnis ſcholaſticis idonei; quæq; vt regias vtrinq; familias ſanguine conjunxit, ita vtramq; regni *Academiam*, aureo quodam munificentiæ vinculo ſociavit.

Bis etiam hoc in loco memorandus *Honoratiſſimus Dominus* GVLIELMVS PAGETTVS *Baro de Budeſert*, ſi à penſione grates mihi penſandæ eſſent; qui è nobis olim exijt eruditus, redijt ad nos iterum verè aureus; neq; ſibi in literis profeciſſe videbatur, niſi literatis aliquando prodeſſe poſſit. Nobilium (vt perhibetur) vbicunq; demum ſint, longè Doctiſſimus, cujus familia eſt quaſi nova Academia, cum vitam ipſe agat togatam, etiam ſub paludamento.

HIs prælibatis pro more iſtius loci & officij mei, reſtat vt de ſcholarum vſu, de publicâ Theologiæ profeſſione, de ſcholaſticis controverſijs in negotio religionis, de politicis quibuſdam moderatoribus, verba apud vos faciam.

Cum à belluino vitæ inſtituto, ab eſu glandium, ab agris & devijs, quibus palabundi errabant homines intra vrbes & mœnia cogerentur, neq; adhuc beſtiam, quâ plus æquo verſati eſſent, exuerent, aut hominem, quem

facie tantùm referebant, induisse viderentur, nisi scholas instituerent, vbi ferulæ vmbrâ magis cicurantur ferocientes animi, quam aut ergastulorum strepitu, aut carnificinæ lanienâ. Hinc codices, miri hominum transmutandorum artifices, & toga, cui non tantùm arma, sed imperia cessere, & Philosophus, animal natum ad sublimandam speciem suam, ex cujus *sive stoâ*, *sive Lycæo*, quasi saxei ex *Pirræ* manu, aut *Medeæ* aheno silicernia, in maturos vegetosq; transmutantur. Dies me deficeret, si pulsarem tantùm fores philosophorum, si ipsorum genealogias, contexerem, vereor (vt cum Apostolo loquar) ne genealogiæ ἀπέραντοι, infinitæ & interminabiles videantur, 1.*Tim*.1.4. Valete igitur barbæ & togę, cum jam sublimiores animæ me non tantùm vocant, sed in sacratiora ipsorum adyta sequacem rapiunt. Siue illæ prophetarum scholæ, 2.*Reg*.2.6. sive Apostolicæ, *Antiochena* scilicet, & *Alexandrina*, quarum vestigia extiterunt tempore *Constantini*. Erant enim vt Ecclesiæ, ita & scholæ quædam Apostolicæ, primævæ fidei seminaria, & coloniæ pietatis. *Eusebius* ex *Philone*, & *Hieronymus* referunt, *Marcum Evangelistam* agmina Philosophantium, qui lectionibus, disquisitionibus, disputationibus, & sacræ paginæ invigilabant in celeberrimâ *Ægypti vrbe Alexandria* coegisse. Bonis avibus, & felicissimo conatu, vt à filio *Petri*, 1.*Pet*.5. gymnasium hoc institueretur, ex quo, tanquam ex *Equo Troiano*, lectissimi Theologi prodierunt. Quibus ego te præconijs memorem ô *Pantæne*, lapis istius scholæ angularis, qui vsus es ijs magistris, qui in carne Apostolos vidissent. cui succenturiatur *Clemens Siromateus*, eo nomine à singulari opere insignitus, cujus discipulus erat, teste

Photio

Photio, *Origines Adamantius*, quid loquar de *Tryphone*? *Heracle*, *Dionysio*, *Anatolio*, *Pierio*, *Theone*, *Didymo*, *Maximo* philosopho & *Episcopo Constantinopolitano*? & si *Nicetæ* credere velimus, infelix illud portentum *Arrius*, quasi alter *Iudas* inter Apostolos, præfecti Cathedram in hac scholâ invadebat. Prætereo *Nisibenam Syrorum Christianorum*; *Antiochenam* sine sacrilegio silere non possum, propter baptismum, & incunabula Christianismi, *Act*. 11.2. in qua *Lucianus* presbyter doctissimus (teste *Hieronymo* in Catalogo) sacram Scripturam interpretatus est.

Sed vt in statu politico familiæ in vicos, & viculi in vrbem; ita in republicâ literariâ scholæ in collegia, & hæc in *Academiam* transmigrarunt. In qua, si vspiam terrarum est paradisus visibilis, amœnitatum hortuli, aromatum suaveolentes areolæ, antiquo & genuino nomine *Vniversitas* nominata, quasi vniversalis Mappa & Chartula deliciarum, & suavitatis vniversæ myrothecium. Hæc sunt *Academiæ* spatia de quibus somniarunt Philosophi. Vmbratilia fateor, sed alis & misericordiâ Dei adumbrata. Vbi tria tabernacula, Primum *Christo*, alterum *Eliæ*, tertium *Mosi*. Templa & oratoria nostra sunt *Christo* destinata, sanctuarij Domino & nostro. Scholæ *Eliæ* fervido & igneo contemplationis curru in cœlum abrepto. Bibliothecæ *Mosi* primo vtriusq; tabulæ custodi, & librorum scriptori. In isto quidem trivio, quodlibet punctum cœlo est concentricum, & ab hoc triangulo, per viam innocentiæ lacteam, ad ęternum nec mathematicum aut imaginarium cœlorum circulum transeamus. Complectar brevi. *Academiæ*, quæ communi nomine studia vocantur generalia, sunt officinæ

animarum

animarum, hominum formandorum incudes, oracula totius orbis, veritatis & judicij metropoles. Ita vt vsurpare libeat illud prudentissimæ matronæ, 2.*Sam.*20. Proverbium est, vt qui interrogat, interroget in *Abela*, qui interrogat, interroget *Oxoniæ*; quæ jam olim fuit *Abela* nostri Israelis, aut *Cariatsephar*, hoc est, literarum & disciplinæ civitas, vbi difficiles quæstionum nodi, pro more solvebantur.

Vnde principes inter primas imperij curas habuerunt, ornare hæc Musarum alvearia. Vt *Episcopi Gallicani* in *Concilio Parisiensi* postulant à *Ludovico Pio* Imperatore, vt exemplo patris C A R O L I *Magni*, in tribus congruentissimis imperij locis, publica Gymnasia constitueret. Ab hoc fonte regiæ & invidendæ collegiorum strues, Bibliothecarum preciosa & inæstimabilis supellex, professorum salaria, quæ vt meritorum dotes, ita studiorum anima, & vitalis spiritus. Etsi enim humaniores artes non sint meritoriæ, sed liberales; neq; ad æs exeant, aut Minervali inhient, sed disciplinę; nescio tamē, quomodo, sunt aurei quidā stimuli, qui viros etiam doctos incitant, acuuntq;, neq; *Pegaseium* expectetis melos, vbi splendor nummi, aut lucelli spes aliqua non affulserit. Non enim vescuntur viri *Mercuriales* aurâ populari, neq; tenui hoc corpusculo ali potest ipsa subtilitas, cum populi plausus non magis nutriant, quàm odores, hi marium, illi tantùm aurium lenocinia. Gratulor hac ex parte communi nostræ matri, artiumq; professoribus apud nos vniversis. Cum non tantum nitescant scholarum parietes, sed ditescant locorum genij, neque famelici lectores aut sordidè vivant, aut præ inediâ jejunent. Repende ô Domine *Mæcenatibus* nostris septuplum

plum in ſinus eorum,& vt cumulaſti beneficia, ita incende ſtudia, intende merita. Vſurpaſſem illud *Pſalmiſtæ*; non fecit ſimiliter vlli nationi; niſi antiquæ & huic noſtrę æmulæ *Lutetiæ*, jam numerarent ſex Profeſſores in architectonicâ, & ſupremâ omnium facultatum theologiâ, tres Regios, duos *Henrici* quarti verè Magni, tertium *Ludovici* filij patrizantis, reliquos pedarios, *Sorbonicum* vnum, duos privatorum ſtipendijs militantes. Quidni igitur novo muniti viatico, & ſplendidiſſimè ornati noſtram etiam ornemus ſpartam? neq; diutiùs cum *Martha* multis impliciti ſimus, ſed cum *Mariâ* partem meliorem, portionem noſtram vivam, æternam *Ieſum Chriſtum* deligamus? Quid nos magnorum limen, vt humili ita & labili terimus pede? & *Ariſtippi* quidam (proh pudor!) Chriſtiani, ſalivam eorum lambimus?

laudare parati
Si bene ructarent. Quid agunt in ſæculo ſacri religionis myſtæ? vbi nihil eorum intereſt, niſi vt quam celerrimè exire poſſint. Quid pereunt cum perdito, quorum theſauri in Domino abſcondi debent? Erumpet vera vox, neq; me poſſum reprimere diutiùs; Perdidiſtis vos (*Florentes Academici*) cum in ſæculum plus æquo, & vias gentium Larvatas, paraſiticas, ſimulatorias exijſtis.

Ambitus veſter vnicus & ſingularis eſto nihil ambire. Si qui proceres ſunt, quibus vos mancipetis, inquirite in primæva hiſtoria pugiles illos, qui pro *Chriſto* cum beſtijs luctati ſunt. Si in Epiſcoporum clientelam vos tradere velitis, præſules illos conſulite, qui in *Concilijs* adhuc ſpirant, & loquuntur meliùs, quàm aut *Iuppiter* ille *Hammon Romanus*, aut conclavicularei *Cardinales*. Suſpicite antiquos patres venerandę canitiei, magiſtros

ad pietatem, consiliarios, testes, judices; quorum fidei omnes Catholici agglutinantur, vt scitè *Lirinensis.* Placet mihi siue apologus, siue pictura, quæ oculatissimos ætatis nostræ theologos, nani imagine gigantum humeris super impositi repræsentat, videt quidem oculis suis, licet longè & eminenter prospiciat pedibus levatus alienis. Horresco planè atq; detestor *Stapletoni* vesaniam *Tom.2.pag.*474.qui (vna excepta antiquitatis gravitate,) scopticè satis & magistraliter Ecclesiam & theologos posteriorum temporum, eos scilicet, qui nongentis & ampliùs annis floruerunt, cum primâ illâ (primitivâ, ni fallor Ecclesiâ) satis laudabiliter, sine invidiâ posse comparari. Neque ferre possum *Bellarmini* typhum, qui integras Patrum decadas, vbi ad palatum non sapiunt, vnicâ tantum spongiâ expungit atq; oblitterat, cum sanis auribus consensus veterum sit suavissimus concentus, & cœlestis quædam harmonia. His ego nominibus solis assurgo, veneror vt patres, eóq; magis quasi matris Ecclesiæ paranymphos. Immoror nonnunquam recentibus, antiquis immorior. Vtiles esse fateor, neotericos, vt præparent Theologum, non detineant. Dolendum enim est, senescere studiosos terendis progymnasmatis, manualibus, systematis, thesibus, methodis, opusculis, synopticis Doctorculis. His ego elementarijs lac & virgam commendari cupio, & stigma frontibus inuri: Ego sum *Calvini*, ego *Arminÿ*. Non libenter audio, aut ex vnâ parte insipidos Encomiastas, *Lutherum* esse supremum Ecclesiæ patrem, cujus non puderet *Augustinum* esse discipulum. *Philippum* esse *Paulo* proximum. Nec dissimile *Calvini* institutionum elogium: *Præter Apostolicas post Christi tempora*

chartas

chartas, Huic peperere libro ſæcula nulla parem. Multo minùs putida illa & dentata dicteria; Ego judico vnum *Petrum Lombardum* pluris eſſe, quam centum *Lutheros*, ducentos *Melanchthones*, trecentos *Bullingeros*, quadringentos *Petros Martyres*, & quingentos *Calvinos*; qui omnes ſi in mortario contunderentur, non exprimeretur vna vncia ſanæ theologiæ. Hæc fortaſſe *Stancarum* hominem veſanum, & hæreticum decere poſſint. Sed non libenter audio *Bolſecas* quoſdam reformatos, *Fevardentios Anglicanos*, ſpiritu *Ignatiano* debacchantes in ſacros *Calvini* manes, qui in hoc vnico argumento facundi, neq; concionari, nec dictare, nec ſcribere, nec jocari (jomulariter plerumq; hæc præſtant omnia) aut quicquam poſſunt, niſi *Calvinum* lancinent, aut effingant ſibi puritanum. Obſoletæ jam pridem ſunt iſtæ *Ieſuitarum* næniæ, & mimi apud eos exauctorati, vos autem locuſtarum hoc virus lingere, & in Eccleſiam Dei evomere, prodire in templum, domum Dei vivi, tanquam in ſcenam, & hiſtrionum more ſcurram agere *Ieſuitam*, ſub perſonâ miniſtri Evangelici. O dementiam! ô piaculum! Nemo ſit apud nos, aut tam ineptus, vt in omnia *Calvini* verba jurare velit; neq; tam ingratus, vt dicere pudeat, quibus magiſtris in *Chriſto* profecerit.

Inter veteres iſtos Patres, duces in viâ, & modernos ſcriptores comites noſtros ac familiares, ſunt medij quidam non contemnendæ authoritatis, qui à ſcholâ *Scholaſtici* appellantur. Nomen antiquum fateor, primùm à foro, deinde in Eccleſiam à Rhetorum officinis tralatum, vnde in concilijs defenſores *Scholaſtici* occurrunt. Vſus tamen obtinuit, vt is ſolus hoc titulo honeſtetur,

qui in pulvere desudat Academico, & athletico quodam robore, syllogismis certat, & contortis enthemematis, & bicorni argumento, tanquam ariete, prosternit adversarium. Hæc est polemica & virilis *Theologia*, quæ armata prosiluit non ex *Iovis*, sed *Lombardi* cerebro, novâ tamen indies instructa panopliâ, sive à *Doctore invincibili*, sive *irrefragabili*, sive à *Seraphico*, sive *Cherubico* per quinq; jam tandem annorum sæcula in scholis dominatur. Pulverulenta igitur est hæc facultas, & perusta solibus, vt bellatricem decet, neq; mirum, si calamistratis quibusdam Rhetoricantibus, qui voculas, vt muscas captare solent, non arrideat, vtpote hiulca, & salebrosa, nec compta satis. Sed transeo istos cum suis thesauris, sive *Stephani*, sive *Nizolij*, & *Varronem* ijs omnibus oppono; Avi & atavi nostri cum allium & cępe eorum verba olerent, tamen optimè animati, & cordatissimi erant. Philologos ad vnum omnes prudens moneo, vt hęreant in verborum cortice, & cum cane vitrum lambant exterius, nec pultem attingant, & vt abstinere velint ab hâc arenâ scholasticarum contentionum, vbi quasi lacertis res peragendæ erunt, non tantùm linguis, *pede pes densusq; viro vir*. Neq; causentur scholasticos aliquando obscuros, aut subtiles nimis, quidni tenebricosi sint blæsis aut lusciosis, qui μυωπάζοντες vel luce meridianâ caligare solent. Neq; displicere cuiquam debet subtilitas si aliquid est præter subtilitatem, non magis quam aristarum acumen, vbi cum spicâ, fructus vberrimi percipiuntur. *Senecæ* illud, non est sententia, sed oraculum: summâ subtilitate nihil agi; & salvâ scholasticorum pace cum *Henrico Gandavensi* dici potest; dum subtilitatem sæcularis philosophiæ nimis sequuntur, splendorem aliquantulùm

quantulùm theologicæ puritatis obnubilant. Miserrima est illius scholæ conditio, quæ titulis magisterij se tantùm tueri potest, vbi Sophistæ regnant, & Antichristus moderatur. Et si vspiam *Lutherus* duriusculè de Academijs, aut scholasticis locutus fuit; vt eas esse Antichristi lupanaria, illam vero ignorantiam veritatis, & fallaciam inanem; siq; *Melanchthon* prophanam eam vocet, *Lutetiæ* natam, quâ admissâ Evangelium est obscuratum, ac fides extincta, intelligi volunt de Academijs & Doctoribus illis, de quibus *Psalmista*, *Psal*. 32. 9. Ne sitis tanquam equus & mulus, in quibus non est intellectus, quorum maxillæ lupato & fræno Pontificio ita constringuntur, vt nec dicere, nec scribere, nec vivere vnquam possint, nisi spiritus sanctus *Româ* afflaverit. Vna hæc curia omnes corrupit scholas, & imaginaria *Petri* Cathedra omnium Doctorum Cathedras vno ictu infallibilis judicij pessundedit. Palpones enim isti theologi pessimè semper de Ecclesia meriti sunt. Vbi autem scholastici suo decurrunt alveo, & fundantur tantùm principijs revelatis, (sic enim sani loquuntur) eorum doctrinam radium esse confiteor illius lucis theologicæ, quæ jam pridem cœlitùs delapsa est. Quod autem *Canus* omnes simul scholasticos in fide errare non posse asserit, temerarium plane est, affine damnatissimę, & insulsæ illi, hæresi, *Romani* tripodis genium falli non posse. Concludunt verè, si vera præmittant, fabri conclusionum, non principiorum artifices; & scholasticorum illationes ex se, & vi suâ, opinionem tantum generant, non fidem. Hi sunt limites nostræ scholæ, & cancelli, quæ si litigiosa nonnunquam sit, non minùs ferenda, quàm vxor querula, fatali quodam necessitatis vinculo conjuncta & as-

 sociata

ſociata. Pugnæ enim & lites vtrobiq; ſunt neceſſariæ, quia hæreſes non tantùm expedit eſſe, ſed oportet 1.*Cor*.11.19. Bella in corpore politico, controverſiæ in Eccleſiaſtico, medicamenta in naturali, moleſta & gravia eſſe ſolent, propter effectum tamen ſalutarem ſunt neceſſaria. Trituratur enim granum, vt reponatur in horreum, lapis quadratur, vt ſine mallei ſonitu in templi ædificio collocetur; movetur turbo, vt *Elias* in cœlum rapiatur; ventilatur quæſtio, vt abditi veritatis ſenſus eliciantur. In hac enim ſylvâ hæreſis, & ſegete errorum, in procinctu nos omnes ſtare neceſſum eſt, neq; hac tempeſtate fas eſt, ſedere diutiùs ad aquas *Siloes* placidas atq; tranquillas, ſed ad obſtreperos illos & turbidos *Iurgÿ* torrentes.

Armate vos tandem (Academici) neq; ad velitationes ego ludicras & pueriles, ſed ad ſtatarias & maſculas verborum pugnas, vos invito. *Hannibal* enim ad portas jam pridem dici potuit; quaſſantur mœnia non tam ariete & tormentis, quam vineâ & cuniculis, imo intra muros ſunt infenſiſſimi hoſtes, *Ieſuita* truculentus, *ſacrificulus* ſubdolus, *Pelagianus Romanizans*, miniſter amphibius, & ex adverſâ parte, eodem tamen periculo, quaſi per pſeudothyram ſubrepens puritanus. Si vnquam, vſpiam Eccleſiæ navicula decumanis fluctibus jactata fuit, hæc certe eſt horrida tempeſtas, pravia illius igneæ; gemunt rudentes, tremunt nautæ, ſtridunt mali, & tu cum *Ionah* quaſi crapulam exhalares, ita & periculum edormies? Audiſtis claſſicum belli ſacri imo execrandi, ſcripſit impuriſſimus *Scioppius*, geſſit ſæviſſimus omnium *Hiſpanus*, qui novum exhauriet orbem, vt occidentale (occiduum potiùs) imperium de novo erigat,

gat,& vos ῥιψάσπιδες receptui canetis?

Non miretur quiſpiam caſtrenſem hanc, & bellicam dicendi formulam, videor hodierno die in *Areopago* conſtitutus, cum ab hâc militiâ vmbratili atq; togatâ excitantur ſtudia, accenduntur animi,

veræq; parantur arenæ.

Fuit aliquando ætas, cum mentis æſtus, & contentio honori fuit profeſſoribus veſtris; & tubam inflare Academicam non fraudi aut ignominiæ cuiquam erat, cujus ſpiritu lutei *Babylonis*, vt *Iericuntis* muri, diſijciantur. Sed alia nunc, & nova rerum facies. Sinite adverſarium triumphare vlteriùs, ferveat ab incude *Duacenâ* juventus *Anglicana*, limâ formetur *Ieſuiticâ*, virus exugat & concoquat *Hiſpanicum*; vbiq; terrarum ſplendeant *Ignatianorum* collegia, & nova indies erigantur; & nuperrimo inſtituto, in *Academia Pariſienſi Reginæ* Matris impulſu atq; hortatu novus creetur profeſſor in Theologia, qui ex mente principis dogmata fidei, ab hæreticis in controverſiam adducta explanare debet; vos interim ſedete, tacete, & non manus tantùm, vt magiſtrorum ferulæ, ſed jugulos etiam, vt inimicorum gladio præbete.

Languorem enim fidei, & fæculentam requiem, pluſquam *Moabiticam*, nonnulli non exercent modò, ſed dogmatizant; quorum ſenſu, zelus heroica illa virtus, factio ęſtimanda erit, odium *papatus*, eſt ſtudium partium, cura animarum eſt *Calviniſtica* quædam & pragmatica curioſitas, ſobrietas, modeſtia, ſedulitas, omnia, (ô lepidiſſimum commentum) eſt purus putus puritaniſmus. Habeo & mihi & vobis mirificè commendatum virtutum omnium ſalem, & ſedatæ mentis teſſeram, moderationem.

rationem. Bonum nomen, ſi infandum non palliaret ſcelus, videant, ne, in fidei negotio, (de quo tantum loquor) dum fervorem extinguent, teporem inducant; & quos tepidos volunt, ſtupidos tandem efficiant; & dum novi veteratores modeſtiæ famam affectare cupiunt, perfidiæ notam ſtigmatici ſibi ipſis inurant. Ænigma plane eſt, nuperum hoc, & peregrinum animal, *homo moderatus*. Bone *Oedipe*, enuclea, aut *Sphinx* eſt tuus, aut *Vertumnus* poeticus. Si ego in ſcenam hanc, monſtrum quoddam producerem puellari facie blandâ atq; modeſtâ, corpore canino & rabido, alis veſtito, vtpote volatili, Leoninis vnguibus, vipereâ draconum caudâ, voce tantùm humanâ, non dicam riſum, ſed fletum & planctum teneatis? Naſcuntur *Sphinges* apud *Troglodytas* & *Æthiopes*, autor eſt *Diodorus Siculus*, *l.*4. noſter iſte, quis, aut vnde ſit, divinare non poſſum. *Anglo-Hiſpano-Romano Catholicus* procul dubio, homo vt horarum, ita & locorum omnium, & ſi opus fuerit, religionum. Oneravit eum laudibus, quibus potuit maximis, ζωγραβάτης ille *Carrierius*, ſui, ni fallor, effigiem delineans, larvatus miniſter, exuviæ *Proteſtantis*, & perſona tantum *Evangelici*. Aut is eſt; aut ventricoſus ille perfuga, bis terue apoſtata, maſſa adipis & fraudum *Spalatenſis*, quo vno, cæteriſq; omnibus ejuſdem farinæ *Pſeudolis* carere poteſt *Eccleſia Anglicana*. Patent fores, proficiſcantur; taceant modò, nec horrenda ſpargant Zizania; *nullam eſſe iuſtam ſchiſmatis cauſam inter Eccleſias, iunguntur iam gryphes equis*; vna & eadem Catholica ſocietas v bicunq; terrarum militat, ſive ſit *Antichriſtiana*, quæ eſt *Romæ*, ſive *Antitrinitaria*, quæ eſt *Cracoviæ*, vnde corollarium; in quâcunq; religione hominem ſervari poſſe.

Com-

Compendiaria hæc certè via est difflandi omnes simul controversias, trunci stipites, fungi scriptores nostri polemici, *Iuellus*, *Reinoldus*, *Whitakerus*, *Feildus*, *Abbotius*, qui vigilijs studijsq; contabuerunt; vt Schiomachiam exercerent meram. Gloriosi nostri Martyres gratis preciosum fuderunt sanguinem, tanquam aquam, in causâ triobolari & nihili. Mortuus est *Reverendissimus Cranmerus* tanquam canis, vt *Donatista* furibundus, aut *Circumcellio* fanaticus, aut *Iesuita* sicarius. Non gliscebat temporibus *Marianis* sanguinea (vt videtur) & cruda persecutio, sed justa quædam, & necessaria legum executio. Exitus noster è *Babylone* non erit secessus, sed schisma, & religio, quam profitemur, non est Ecclesiæ reformatio, sed politica quædam conspiratio.

Audiant *Neutralistæ* odiosum semper hominum genus, brevissimè dicam, aut *Papistæ* hæretici, aut nos non sumus Orthodoxi. Lis nostra non est de caprinâ lana, aut de fundi terminis, non contentio de stillicidijs aut aquæductibus, sed de cultu idolololatrico, de *Antichristi* tyrannide, de circumforaneis quibusdam imposturis in templo Dei, de ijs rebus, (vt cum *Augustino* loquar) quibus miserè semper vivitur, aut beatè. Vtinam in tractandis hodiernis controversijs non tantùm præjudicia, sed affectus (si fieri possit) seponantur, cœlestis quædam serenitas ista est, nec in viâ sperari potest. Sed pax pax, vbi non est pax, est vox *Iacobi* & manus *Esaui*, *Ioabi* osculum cum pugione. Media hæc via inter *Deum* & *Baal* perniciosa semper Ecclesiæ fuit. Mitto reliqua. *Anastasii* facinus, sicut & proximi ejus antecessoris *Zenonis* edictum ἑνωτικόν, seu pacificatorium, totum orientem perdidit, (teste *Evagrio*) innumerisq; hæresibus implevit.

vit. Error enim cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum non defenditur, opprimitur, vt probè *Innocentius*. Aptissimum enim est ad tegendas fraudes velum taciturnitas, & insidiæ istæ, quæ latent, graviùs nocent, quia occultè feriunt. Detrahenda erit aliquando hæc larva politica, (falsa enim non semper fallent) & *Metius Suffetius* jam diu Medius inter exercitus, alteri se parti adjunget, & dolore animi *Ambrosianis* verbis confitebitur, præstantiorem esse fortitudinem paucorum, quam frigidam multorum remissionem.

Fortiores ergo nos faciat (*Academici*) non tantùm causa, sed conscientia, & gratulari vobis vsq; & vsq; liceat, avitam fidem, puram atq; intactam. Nemo inter vos è familia mollium istorum *Lutheranorum*, nemo *Proteus Theologus*, aut chameleon literatus. Non in bicipiti somniasse *Parnasso*, aut stetisse in bivio vos memini, aut matrem *Academiam* monstroso atq; heterogeneo partu, hybrida quempiam enixam fuisse? Quodq; miraculi instar grata & læta posteritas recolere cupiet, nullus in tantâ hominum *Vniversitate*, aut susurro *puritanus*, qui disciplinam matris *Ecclesiæ* clanculùm sugillet; aut nocturnus *Antichristi* discipulus, qui doctrinam vellicet; nullus *purpureæ meretricis* occultus leno; aut Iesuiticus proxeneta; aut Pelagianismi interpolator; sed quos nutrivit *Academia* eruditos, eos consecrat *Ecclesia* orthodoxos. Neq; quenquam moveat, quod istis gradibus in *Honoris* templum non ascendatur. Moderati fortasse dominantur in terrâ, sed scriptum est; vim patitur regnum coelorum, & illud rapiunt violenti, *Math.* 11.12 In quâ ego sententiâ divinâ plane & aureâ libens acquiesco. Et si hodierno die stylum ego strinxi liberiùs, ju-

stus

ſtus dolor, vt zelum, ita & vocem expreſſit; hoc morbi genus non faſcijs aut emplaſtris, ſed cauterijs & ferro ſanari poteſt.

Non ſum tam valenti ſtomacho, vt ad farratas *Ægypti* ollas reverti velim, neq; tam delicato, vt *Eccleſiæ* ceremonias concoquere non poſſim. *Eccleſiæ Anglicanæ reformatæ, catholicæ*, filius obſequentiſſimus, ita vt *Ieſuitiſmum Papiſticum* & *Puritanum* vtrinq; ad inferos amandari cupiam. Communis *patriæ* ſervus, *Academiæ* iſtius ſemper Orthodoxæ alumnus. Veſter etiam ſum, non tam ſuffragijs veſtris, quam obſequio meo.

FINIS.





CONCIO LATINA HABITA AD BACCALAUREOS DIE CINERUM.

Ad Colossenses 2°. Versu 8°.

Videte nequis vos deprædetur per philosophiam.



PRIMITIÆ.



Vod felix faustumq; sit (Florentes Academici) convenimus hodierno die deuoti & humiles in atrijs Dei vivi, vt studia hæc vestra solennia à cultu numinis inauguremus. Optimo certè & pientissimo majorum instituto (quod vtinam tam fidelitèr observatum, quam felicitèr inuentum) vt religio manuduceret philosophiam, vt à templo ad scholas, à Theologo ad Philosophos, à concione ad argumenta, à Christo ad *Aristotelem* contento studio & cursu procedatis. Si enim εἰσαγωγὴ illa, quæ ab authore Porphyriana dicitur, à necessitatis lege exordium sibi sumit, vnde primum omnium quæsitum in ipso limine Dialecticæ, an quinq; conducant ad quatuor? certè hoc procemium pietatis ad omnia vtile est, 1. *Tim.* 4. Neq; quisquam verè doctus, nisi idem syncerè pius esse velit. Preces vestræ præliminares sunt matutinæ victimæ, & claues non tantum scientiæ, sed Paradisi, & dum cum *Mose* manus in

 cœlum

cœlum eriguntur, prophanus *Amaleck* præualere non poteſt. Ego breuitèr præibo, & veſtro nomine ſempiternas cœli pulſabo fores, vos interim occinite.

Immitte quæſumus Pater luminum lumen illud tuum, vt in lumine tuo Te lumen videamus, non igne fatuo luminis naturalis in auia errorum ſeducamur, ſed cynoſuram ſequamur certam, æternum Deitatis radium, *Ieſum Chriſtum*, ſine quo ipſa ſcientia inepta & ſtulta ęſtimanda erit, ejuſq; profeſſores, ſuo acumine tanquam mucrone proprio ſeipſos jugulant, & miſerrimè confodiunt.

Quæ cauſa erat Apoſtolo proponendi hæc verba, eadem & ratio mihi hæc ipſa apud vos exponendi; Fuerat Athenis, ibiq; expertus linguatam civitatem, cumq; omnes facundiæ, ſapientiæq; Magiſtros deguſtaſſet, præmonitorium hoc concepit edictum, inquit *Tertullianus*. Nos ſumus in Academiâ, quæ ipſis Athenis non eſt minùs Attica, vbi etiam linguæ judicijs aliquando acutiores, & nonnulli plus ore, quam corde ſapiunt, qui captiunculis magis ſtudent, quàm veritati, & ſe philoſophos, Philologos potiùs, quam Philotheologos ſalutari cupiunt. His ego. Audite præmonitionem fidam; Nequis vos deprædetur. Habete præmunitionem certam, laqueus in ſpecie eſt Philoſophia. Præmoniti, præmuniti ab aucupio verborum, & literarum tendiculis, à naſſâ hac & pedicâ, quam etiam perditè amatis, Philoſophiâ ſcilicet, blandâ atq; fallaci prudentes abſtinete. Sed quia apud Logicos jam verba facio, magis ſuccinctè & Logicè; Perſona, Ratio, Inſtrumentum. Nequis deprædetur per Philoſophiam. Hæc tria ſunt omnia, vt cum veſtro loquar *Ariſtotele*, & trichotomia hæc meta erit,

&

& terminus diſquiſitionis meæ.

Quis eſt iſte Nequis? Vno ore omnes reſpondent interpretes. Nemo hæreticus, pertinax ſcilicet monſtrum nullâ virtute redemptum à vitijs, Patrum dialecto; Simia Cameleon, Vulpes, Scorpius, Hybrida potiùs ex diuerſis pugnantibusq; naturæ principijs conflatus, agninâ pelle, lupino ingenio. Arcendæ ſunt hujuſmodi beſtiæ, & vitandæ ad vnam omnes. Quanquam *Clemens Alexandrinus lib.* 1. *Stromatum* damnari hîc putet *Epicuri* Philoſophiam, quæ in Deorum numerum voluptatem referebat. Nequis Philoſophus, nequis hæreticus præſertim *Simonianus*, aut *Epicuri* de grege ventricoſus Helluo, cujus ſchola eſt popina, cujus cathedra eſt menſa, cujus codices ſunt calices, non tam ſermone quàm nidore vos tranſuerſos rapiat. Gratulor & mihi & vobis de hac qualicunq; *Clementis* notulâ, cum anſam præbeat, vt non tantum vera, ſed etiam opportuna proferre poſſim. Quo enim tempore commeſſandi libidinem verbis meliùs exagitarem, quàm hoc ingreſſu quadrageſimæ, quando Chriſtiani jucunditas eſt ſeria grauitas, Epulæ ſunt lacrymæ, paſtus eſuries? aut quo die belluinam hanc ſectam barathrum macelli & voraginem, inferis potiùs amandari cupiam, quam hoc ipſo, quo publica ἐξομολόγησις apud antiquos (vtinam apud nos etiam) votum eſt Eccleſiæ noſtræ in Liturgiâ iſtius diei, in ſqualore & ſordibus inſtitui ſolebat? Cujus ſolennitas (eſt enim quædam debita & ſalutaris pompa pænitentiæ) multis deſcribitur à Burchardo, Iuone, Gratiano. In capite quadrageſimæ omnes pænitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores templi repræſentant ſeſe Epiſcopo ciuitatis, ſacco induti,

duti, nudis pedibus, oculis in terram dimissis, reos se esse ipso habitu & vultu profitentes. Quid dicam Psalmos poenitentiales, gemitus, suspiria, cineres, cilicia, stationem poene nocturnam?

Doleo certè, & intùs crucior, nos hodierno die non dolere, sed antiquam Ecclesiæ disciplinam ita esse antiquatam, vt non tantùm formam & habitum poenitentiæ sed vocabula etiam amisisse videamur. Pudet dicere, nos hesternas, carnales, male feriatas ferias in hunc vsq; diem continuare, fædissimas omnium festiuitates, quæ nihil distant ab impuris gentium *Bacchanalibus*. Potestne quispiam hodie vacare epulis? Studere crapulæ? Siccine sancto huic jejunio quadragenario nos apparamus, edulijs ingurgitati, lasciuiâ & immunditijs contaminati? Quis vnquam ferre potest belluinas illas voces; nihil tibi caro denega, ne te maceres jejunijs mea delicatula, comede, bibe, ride vnguentis madida, rosis coronata, naturam ducem sequere, noster enim *Christus* hâc nos libertate donavit. Quid aliud bos saginatus proferre vnquam potuit? Aut *Bacchicorum Orgiorum* Mystes cum lymphatâ mente furere inceperit? Vos autem dilectissimi *Baccalaurei* mei non à *Baccho* & hedera, sed à baccâ & lauro, industriæ, & doctrinæ insignibus titulum accepistis. Ite *Bacchæ*, abeste *Mænades*, valete *Bassarides*, venite *Charites* cum *Musarum* choro, commendo vobis tenue corpus, subtile ingenium, mensam philosophicã, mentem dapsilem. Seriò & ex animo precor, vt inter scholarum rixas, & arguta verborum bella illud etiam audiatis, quod *Augustinum* olim cœlitùs excitauit: Tolle, lege, tolle, lege, sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus

&

& impudicitijs *ad Rom.* 13. Valeat *Epicurus* Ventris mancipium; vt olida ejus argumenta, sic subtiles aliorum hæreticorum technas & strophas declinate.

Res ardua, sed magni erit momenti, explicare, quomodo Neophyti, (quos ego mihi finxi Auditores, & quos præsertim ab hęreticorum philosophantium fraude tutos esse velim) quomodo cum hæreticis, quos aucupes vocat *Augustinus*, qui viscatos surculos propè aquas defigunt, vt sitientes aues decipiant, sine periculo versari possint. Verbo responsurus sum; O Iuvenes fugite hinc, latet anguis in herbâ. Beatus adolescens ille, qui non abijt in consilio hæreticorum, nec in via schismaticorum stetit; cumq; viris in fide confirmatis aciem & congressus decernerem, Iuniores *Parthorum* more pugnare velim, & fugiendo vincere. Non enim libentèr scapham *Ægeo* mari, aut pusionem cum mirmillone commissurus sum. Delectabitur lactens super foramina aspidis, & ablactatus in cauernas reguli manum immittet, *Esaiæ*, 11. Non erat proculdubiò vniuersale mandatum, sed speciale priuilegium. *Paulus* fortasse viperam in ignem manu excutiet, & *Moses* caduceum vipereum contrectare potest. *Paulum* noui, *Mosen* agnosco, tu autem quis es?

Sed ne ex eorum numero videri possim, quos liberiùs perstringo (dolosi enim in vniuersalibus latere solent) Antiqui Patres speciatim vobis viam muniunt, nulla cum hæreticis commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceantur, simusq; ab ijs tam separati, quàm sunt illi ab Ecclesiâ profugi, vt animose *Cyprianus*. Notum est ferox ipsius ingenium, & lapsis nimis infensum, quasi ipse esset discipulus dilectissimi illius discipuli, *Ioh.* 2. 10.

Ne dicas illi Ave, quicunq; ex *Cerinthi* balneo, quaſi ex Gehennæ puteo fuga ſeſe ſurripuit. Mitiùs *Auguſtinus*; Eccleſiam teneo plenam tritico & palea, paleam fugio, ne hoc ſim, non aream ne nihil ſim; apud quem aurea eſt illa regula: Non propter malos boni deſerendi, ſed propter bonos mali tolerandi. Separauit tamen ſeſe à ſeparatiſtis, qui dum timent, ne ſint fortè hæretici, ſine dubio manifeſti & aperti fieri volunt ſchiſmatici, oues ſolitariæ, ouile deſerunt, & fiunt præda rapacis. Aliud enim eſt perſona, aliud dogma, ſemper fugio hæreſin, non ſemper hæreticum, cum quo civilitèr, aliquando vt cum membro corporis politici, nunquam religiosè, vt cum filio Eccleſiæ verſari poſſum.

Quid igitur obganniunt incauti Adoleſcentes? Quid periculi, ſi Deum Papicolarum panaceum, vt communem panem comedero? ſi miſſæ Pontificiæ corpore tantum interero? ſi Ignatianos aut ſacrificulos poſtillatores audire velim? aut libros eorum legere, vt argumenta confutem melius, aut vt argutiolas ridere poſſim? Primi parentis peccatum luimus & imitamur. Pix iſta tangenda non erit. Nos hac à ſcabie tenemus vngues.

Synaxis & ſacratiſſima Euchariſtia communio eſt fateor, non tamen cum *Belial* aut *Dagone*. Quid facit miles *Chriſti* in caſtris *Antichriſti*? Aut quod merebitur ſtipendium, qui ſub hoſtium vexillis militauerit? Nullum religionis vel nomen eſſe poteſt, niſi homines aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligantur, vt contra *Fauſtum Manichæum* docet *Auguſtinus*. Sacramenta Eccleſiæ ſunt ſigilla Chriſti, quid illis commune, cum charactere beſtiæ? Sunt retinendæ vnitatis vincula, ſocietatis Chriſtianæ notæ,

quæ

quæ apud hostem aut ab hoste nonnisi transfuga accipere potest. Veteres Christiani extrema potiùs pati voluerunt, quam hæreticæ synaxeos participes fieri. *Constantinopolitani* Catholici nullis tormentis adigi potuerunt, teste *Sozomeno lib.*4. vt cum *Macedonio* communicarent, *Samosateni* à *Theodoreto*, *Satyrus* à fratre *Ambrosio* eo nomine iustis præconijs celebrantur. Abeat igitur missa in barathrum perditionis, vnà cum mussitante missificante sacrificulo, cum sit struma religionis & sentina idolomanias vniuersæ.

De contaminatis enim contaminamur, inquit *Tertullianus*, neq; sufficit, si mentem intactam & liberam habeamus, nisi aures oculosq; & reliqua corporis membra inviolata esse velimus. Horrendum erat judicium, quo *Dathan* & socij turbine abrepti erant, terra patuit, rapuit, clausa est. Et ne beneficium de mortis compendio consequi viderentur, dum non essent digni vivere, ijs nec mori concessum est, tartareo carcere subitò clausi, ante sepulti, quàm mortui.

Si facta imitamini, exitum etiam illorum perhorrescite. Clamabat *Moses* ad populum. *Num.* 16. Separamini à tabernaculis *Chore*, *Dathan*, & *Abiram*, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. Non consensum, sed contactum, non affectum sed accessum apertè negat. Admoueri tantũ superstitiosis est genus quoddam sacrilegij, dicit *Salvianus*. Quod *Augustinus* praxi confirmauit, qui ex *Manichæo* Catholicus palàm profitetur, pro veteri necessitate, quam cum ipsis habuit, mitiùs cum ijs se acturum esse, hac tamen lege seruatâ, vt vobiscum non orem, vt conventus vobiscum non celebrem, vt *Manichæi* nomen

non

non accipiam. Magnum chaos est inter nos, inquit *Abraham, Luc.16.* Longiùs à pietate Christianâ distant hæretici, quàm à *Lazaro* Paradisi incolâ infelix *Diues* apud inferos. Quid faciunt in eodem templo, qui in eodem cœlo simul esse non possunt? Cum igitur hæreticorum sermo cancri more sensim prorepat, ita vt venenato halitu astantes jugulet, neq; solum tactu, sed vt basilisci solent (teste *Lirinensi*) visu affatuq; percutiat, quis est iste aurium pruritus, vt audire eos velis, quos sine animæ discrimine videre non possis? Nolite exire, dicit *Christus*; nolite audire, clamat *Ieremias*; declinate ab illis ἀποτρέπου auersare, jubet Apostolus, triplex hic funiculus solvi faciliè non potest, non debet. Tu tamen frustra prohibente Christo, reclamantibus Prophetis atq; Apostolis, eorum blasphemijs aurem præbere velis.

Has animæ fores pessulis & obicibus contra eorum voces obserate, oculorum insuper fenestras clausas atq; munitas moneo, ne scripti alicujus hæretici contagione lædi, aliquando possint. Si enim vox transiens per portas aurium animum depredetur. Quid de libro sentiendum erit, cujus verba sunt magis familiaria, & ad fraudem composita atq; expressa, oculis fidelioribus subjecta, quæ non tantum transcursu docent, sed hærent; non tam in commentario, quàm medullis & sensibus infixa atq; insculpta. Volatile enim malum est volumen hæreticum, terrâ mariq; in omnes regiones trajectum, & vbi vox viua penetrare non potest, litera hæc scripta & mortua viam inveniet.

Cathedram pestilentiæ *Psal.* 1. acutè vocat *Augustinus* hæreticorum scholas, characteres impressi sunt vibices & sanies, quibus infelix malum in venas & fibras intimè

timè tranſmittetur, purulentæ eorum paginæ, non atramento, ſed toxico exaratæ ita inficiunt, vt quicquid tetigeris, vlcus fiat. Ova aſpidum eas vocat *Nazianzenus*, quia monſtroſo, ſed Homogeneo partu aſpides parturiunt, quales illarum ſcriptores eſſe ſolent. Vnde *Conciliorum* placitis, & *Principum* edictis cautum erat, vt *Vulcano* & flammis dicarentur, ne in manus hominum venire poſſint. In ſextâ Synodo generali hiſtorias ab hæreticis confictas igni tradendas curarunt Patres, *Conſtantinus M. Arrij* ſcripta, *Theodoſius* & *Valentinianus Neſtorij*, *Valentinianus* & *Marcianus Eutychetis* & *Apollinaris*, *Honorius* & *Theodoſius* libros Mathematicos, hoc eſt, Magicos, *Arcadius*, *Honorius*, & *Iuſtinianus* libros omnes omnium vbiq; hæreticorum vnicâ quaſi pyrâ publicè comburi jubent. Quidni in flammas eant titiones iſti fumigantes, vt ſi fieri poſſit, hæreſis cum hæretico ſimul pereat, potiùs, quàm vt incendio ſancta Chriſti Eccleſia corripiatur, aut vt hominum animæ in ignem tranſeant ſempiternum.

Mitto inquiſitores Pontificios cum eorum regulis, Tyrannicum fateor, ſed prudens inſtitutum, & *Lutheri* lepidum ſimul, & animoſum facinus vobis commendo. Cum *Coloniæ* Theologi, & profeſſores *Lovanij*, ipſius lucubrationes palam incenderent,

Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens

Lutherus; ipſe vt par referret, convocatâ omni multitudine, ſcholaſticâ *Wittenbergæ*, & magnâ Doctorum hominum coronâ; jus Pontificium & nuperum *Leonis* decretum igni tradebat, ſeq; exemplo Apoſtolico, *Act.* 19. tueri conatur.

Conqueri mihi liceat de miſerandâ noſtrâ conditio-

ne,cum libri omnium vbiq; hæreticorum apertâ facie sub dio ambulant, proſtant in bibliopolijs, proſtituuntur in compitis,omnium teruntur manibus. Apud Pontificios tradunt *Caſuiſtæ*, noſtrorum hominum nomina expungenda eſſe,& pro authoritate conſcientiâq;, quâ prędìti ſunt,ſingulari,non audienda vſpiam,niſi in libris catholicorum per ignominiam atq; contemptum, neq; imagines proteſtantium ferendæ erunt,niſi forte *Lutheri* effigies apud Inferos ardentis, aut vbi genio & ventri nimis indulſerit,& præ immodico potu ciboq; animam exhalârit. Hæc ſi quiſpiam finxerit aut pinxerit, facinus mehercule cœlo dignum & me[illegible]rium! Nos interim incauti nimis (vt nihil graviu[illegible]cam) pompaticè *Ieſuitarum* citamus libros,& nonnunquam honorificè Doctores hos hæreticos etiam in pulpitis ſalutamus, magno ſanè & Eccleſiæ & cauſæ ſcandalo, non enim laudandus liber,cujus author damnatus, & vt cum *Sidonio* loquar,non ſit perſona cordi,cujus ſecta deſpectui.

Ad vos iterum revertor candidi & agnini Auditores mei,pro innocentiâ hac & candore, quem non veſtibus tantùm,ſed mentibus inſitum & impreſſum habetis, nolite puros inceſtare oculos, aut ſinus,manuſue polluere, contactu fœdo,aſpectuq; libellorum infamium. Triobolares nugæ ſint ventorum potiùs ludibria, & Σκύβαλα hæc(honor ſit veſtris auribus) cloacinæ dedicanda,non muſis; latrinis potiùs, quam Muſæis. Quid Catechumenis cum controverſijs,cum Deus *Eliæ* & vobis non in turbine contentionum, ſed in placidâ atq; tranquillâ devotionis voce apparebit? Quid vobis cum dentatis hominum malè feriatorum chartulis, *Gretſeri*, *Bolſecæ*, *Fevardentij*, *Parſonij*, aliorum, quas purpurea illa

meretrix

meretrix obſtetricante Antichriſto ex impuriſſimo ipſius vtero enixa eſt. Strangulentur hyperbolimæi partus, virgulâ cenſoriâ & ſtilo Critico transfigantur, cum nullus Index Expurgatorius purgando huic *Augæi* ſtabulo par eſſe poſſit.

Vos ego pupillos moneo, quibus amplior eſt res;
Cuſtodite animas, & nulli credite raſo.

Satis multa jam dixi de peſte hæreticâ, *Lolio* & *Zizanijs*, quæ agrum Dominicum miſerè infeſtant, ſi veſtri cura, & Domini timor non commoueat, periculum tamen vos planè terreat. Secundo enim in loco Pſeudolus eſt & falſarius, fur & prædo quivis hæreticus, brevis hæc tabella textus duplex hoc & Lubricum vtrinq; malum vnico tantum verbo graphicè delineat. Græcum enim illud συλαγωγῶν Latinâ editione vulgatâ & veteri ita ſonat; Nequis vos decipiat. *Hieronymus, Cyprianus, Ambroſius, Hilarius* magis accommodatè (Σύλη enim prædam & exuvias denotat) nequis uos ſpoliet, aut deprædetur. Vtrumq; verum, via fraus eſt, præda terminus hæreticæ pravitatis.

Inter omnes animi labes & vitia, nulla fraude eſt capitalior, aut magis naturæ inimica; quæ ſpuria mentis pravæ progenies in latibulis degit bifrons atq; bilinguis, vt mala & noxia deprehendi poſſit, ſtigmate inuſta flagitium deſignat, doluſq; malus ſingulari malitiæ privilegio appellatur. Neſcio tamen quomodo ab eo tempore, quo antiquus hoſtis, ſerpens ille, veteratoriè communem matrem, eaq; hiantem & credulum maritum pomo pellexit, nihil charius & antiquius habet humanum genus, quam fallere & ſimul falli. Creavit Deus hominem rectum, ipſe multis ſe implicuit inventionibus,

bus, inquit *Ecclesiastes Regius.* Divaricatur humanus intellectus, & relictâ viâ regiâ veritatis semitas tantum quærit, & diverticula. Longum esset omnes simul meandros, & implicitas imposturæ vias vel digito attingere. Totus enim mundus est quasi magna quædam muscipula, hamis & laqueis vndiq; vbiq; irretimur, neq; tantùm in plateis & compitis sunt fraudes circumforaneæ, sed in officinis (quod sentiunt Academici) etiam artes meritoriæ, & versutiæ (si Dijs placet) vrbaniores, & quod mirandum magis, in agris sunt strophæ quædam subrusticæ, non minùs familiares, quàm captiunculæ & sophismata in scholis; quodq; dolendum imprimis erit, domus Dei facta est spelunca latronum, ita vt simplicitas Christiana ab hæreticorum fraude & technis nusquam immunis & libera esse possit. Mercatura est & perjurium in areâ tabernaculi, Simoniacus & bracteatus asinus cum Mysteriorum strue, aureus alter vitulus in monte *Horeb*, vt mulgeant, tondeantq; Christi oviculas, jurant, pejerant, quasi Deo ipsi imponere possint:

----Contemnere fulmina, præsul
Creditur atq; Deos Diis ignoscentibus ipsis.

Non enim Dei, sed Ditis mystæ & Sacerdotes, hæretici, lucro tantùm & Lauernæ sacrificant. Pulchra Lauerna, des mihi fallere, des justum sanctumq; videri. Hamata enim sunt eorum verba, vt scitè Aponius, & simulata sanctitas ijs illecebræ aut sagenæ loco, quâ callidi piscatores cuncta converrunt cum pulvisculo. Illud retiarij apud *Festum* meritò vsurpare possunt; non te peto, piscem peto; non te, sed tua, non animam sanctam sed animal opimum sibi salvum cupiunt. Perfidi quidam Magistri, qui per funem aureum coelo delapsi inhiant locupletum

cupletum fortunis, divites orbos, cœlibes incautos, deliros senes, superstitiosas aniculas blandimentis alliciunt. Numipetæ quidam captatores vncta tantum patrimonia abliguriunt, & quasi essent emunctoria nova sanctuarij, non extremi Lychni oram, sed sectatorum ora callidè emungunt. Nota igitur & Character sit Ecclesiæ malignantis, quod negotiatrix sit, cauponibus similis, qui terrenis, imò Tartareis perituris simul & perdentibus nundinis studere & sudare volunt.

Inter omnes autem hæreticos nullus adeo propola, atq; publicanus, quàm sunt Pontificij, cum turris Babylonica duabus tantum sublicis, ambitioni & avaritiæ, capiti visibili & ventri Monachorum inexplebili inniti videatur. Mystica enim est eorum theologia, neq; quisquam apud eos gratis est Christianus, cum non intersit quid quisq; credat, sed quantum soluat, neq; curatur, an sit aræ & Deo vtilis, sed Pontificis culinæ, aut consistorio. *Esaias Dei* nomine *Cap.* 55. *v.* 1. Invitat sitientes: Venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite sine pretio vinum & lac. Romanus autem Institor; Abite inopes & famelici, ausim dicere, si *Petrus* ipse accederet, & paupertinus antiquam caneret cantilenam: Aurum & Argentum non habeo, successor purpureus proculdubio non agnosceret fundatorem suum, neq; in propriam ipsius cathedram eum vnquam reciperet. Habenti dabitur, verum est *Romæ*, in literâ & sine tropo, vbi animarum salus venditur potiùs, quam prædicatur. *Curia Romana non curat ovem sine lanâ.* tondere possunt, & deglubere gregem magis, quàm verbo & exemplo pascere. Cumq; salvator dixerit: Facilius esse Camelo, transire per foramen acus, quàm di-

vitem intrare in regnum cœlorum, hæc mutatis vicibus apud *Romanenses*, fors & fatum, qui si sinum quoque Abrahæ largiri potuissent, melior esset luxuriantis divitis conditio, quàm beati *Lazari*, qui non magis extorris à divitis mensâ, quàm ab eorum cœlo alienus. Thesaurus est (vt ipsi perhibent) in eorum Ecclesiâ inexhaustus; Facile credo, vbi tot indulgentiæ, confessiones, reliquiæ, miracula, aræ, imagines, & vorago pecuniarum purgatorium. Hæ sunt aurifodinę *Pontificis Romani*, qui plus debet scholasticorum acumini, quàm aut *Constantini* fictitiæ donationi, aut patrimonio *Petri*, aut Ecclesiæ territorio, qui pyrachmones argumentorum, & conclusionum, aridas quæstiones in aurum & quæstum converterunt. Transsubstantiationem jam agnosco, non panis in corpus Dominicum, sed positionum & conceptuum vestrorum in metalla pretiosa. Iam jam efficaci domanus scientiæ, cum arte Iesuiticâ imago muta neque minùs stupidus mussitans sacrificulus, reliquiæ mucidæ, ossa arida, & limbus imaginarius, vmbræ rerum & phantasmata quæstui esse possint. Meritò nos despiciunt divini isti artifices, cum eorum sensu sola fides sit jejunum & aridum dogma, & vt summatim dicam, scriptura sine traditione, Ecclesia sine capite visibili, Pontifex sine jurisdictione temporali, Clericus sine votis, sacramentum sine sacrificio, opera sine meritis, tota nostra Theologia negativa (vt ipsi vocant) quia lucrum negat, non sententia, sed dementia æstimatur. Verbo expediam, illi paupertatem vovent, Ecclesiæ autem nostræ ministri rapinis Laicorum exhausti reverà patiuntur. Tam longè tamen absumus à fraude & versutia, quàm æquivocantes *Iesuitæ*, à *Iesu* & veritate. Nemo apud

nos

nos ſolet quempiam aut *Gilbertare*, aut *Druriare*, non tam verborum ſolœciſmum, quam rei barbariem perhorreſcite. *Watſonus* quotlibeticus ipſe *Romanenſis* & Sacerdos, catalogum ſatis longum *pag*. 89. jam olim contexuit, (neq; dubium, quin prodire nunc poſſit multo auctior & emendatior) quorundam Papiſtarum quos *Ieſuitæ* prætextu exercitij cujuſdam ſpiritualis (ô Diabolicum inventum!) miſerè ſpoliarunt. Inter quos primas tenuit *Henricus Drureius* antiquæ & nobilis familiæ, qui ampliſſimum in agro Suffolcienſi prædium vendidit, pecuniam confeſſori dedit, in partes tranſmarinas abijt, ſpacio pænè novendiali (ne jam nudus moleſtus eſſet patribus) non ſine ſuſpicione interijt. Vnde *Druriatus* in linguâ *Eſauiticâ* eſt ſtupidus Papicola, omnibus fortunis religioſiſſimè exutus, ſine re, ſine ſpe, ſine lare, quem nudum & fruſtra rogantem nemo toro, nemo hoſpitio tectoq; juvabit.

Hæc eſt practica eorum Philoſophia, Ethicam, Oeconomicam totam converterunt in politicam *Atlantes* rerum publicarum. Neq; ſpeculativa minùs periculoſa. Videte igitur ne *Ieſuitæ* vos deprædentur per Philoſophiam, Vt falſa & fraudulenta phænomena ad oculum demonſtrare poſſim, quo tendant portenta illa opinionum? Accidens poteſt eſſe ſine ſubjecto, quantitas ſine corpore, ſpecies viſibiles panis in non pane, forma materialis ſine materia, vnum corpus in duobus locis ſimul, nudæ ſpecies tamen nutritivæ. Hæc in prædicamentis, in Phyſicis, in Metaphyſicis doloſè vobis ingerunt, vt panem iſtarum propoſitionum poſſitis aliquando concoquere. Vt altiùs ego rem iſtam repetere poſſim, (breviſſimè percurram) quia philoſophandum de Philoſophia, ſed paucis.

Primævis

Primævis Ecclesiæ sæculis Philosophos pessimè audivisse apud Christianos, omnibus qui venerandæ Canitiei antiquos Patres vel à limine salutarunt, cognitum perspectumq; est. *Tertullianus* in aureo præscriptionum libro totus est in exagitandâ Philosophiâ, à quâ hæreses & subornari,& proficisci enucleatè docet. Celebris est censura apud eum, Philosophos esse hæreticorum Patriarchas,cui *Irenæus*, *Chrysostomus*, *Nazianzenus*, *Eusebius*, *Cyprianus* calculum apponunt, quid *Athenis* & *Hierosolymis*, quid *Academiæ* & Ecclesiæ, & sexcenta hujusmodi? Nemo tamen existimet,hoc eo animo aut ab ipsis dicta,aut à me prolata esse, quasi humaniores artes è republicâ Christianâ exterminandæ essent. Eruditus erat *Moses* omni *Ægyptiorum* sapientia. *Act.* 7. Ethnicorum artes sunt spolia *Ægypti*, quæ jure nostro tanquam ab injustis possessoribus repetimus, & quasi divitiæ *Tyri*, & vt aurum *Ophir*, quibus Dei templum ornabatur. *Sanctus Hieronymus* cum ei objectum fuisset,quòd plus satis sæculari literaturâ vteretur,quasi candorem Ecclesiæ Ethnicorum sordibus pollueret; hoc, inquit, gladium est extorquere de manu hostium, & mucrone proprio *Goliæ* truncare caput; At captivæ mulieris caput radere oportet, supercilia,pilos,vngues amputare,& sic habere in matrimonio. Omnes scientiæ & artes pedissequæ Christianæ fidei,non secus atq; *Saræ Hagar* ancillentur, *Regnum* earum non patimur, sed *ministerium*, & vt *Aristotelis* Logica Philosophiæ, sic ipsa Philosophia organon sit divinæ planè ac cœlestis theologiæ. Ite nihil sanantes literæ, Ite *Syrenes* in perniciem dulces, quas scenicas meretriculas acutè *Boëtius* vocare solebat.

Verba

Verba ſubſequentia ſunt inſtar pleni & locupletis commentarij, ſcientia pernicioſa eſt, cujus principia ſunt *elementa mundi*, qualia ſunt crebra apud *Ariſtotelem*, quæ obſervavit *Melchior Canus, lib.* 10. Locorum, quæ cum mundi creatione, Chriſti incarnatione, animæ immortalitate, Dei ſingulari providentia, ſtare ſimul non poſſunt: Carnis reſurrectio, & virginis puerperium ſunt apud eos λῆροι meri, quibus non magis credendum quàm ſi,

Vel mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum.

Secundum κεῖμενον eſt *inanis fallacia*, non quaſi acumen Logicum, aut diſceptandi artem damnare velit, quæ ſi antehac vtilis aliquando fuit, noſtrâ quidem tempeſtate, in quâ homines contentionis magis avidi, quam veritatis, abſolutè neceſſaria dici poteſt. Quod ſanguis in venis, aut potiùs, quod anima in corpore, tota in toto, & tota in parte qualibet, illud certè Logica, non tantùm in Philoſophiæ ſtudijs, ſed etiam Theologorum myſterijs, à quâ nervos & vitam & ſpiritum mutuantur. Ejus ego ſtudium neophytorum claſſibus commendatum eſſe velim, vt miſſâ rancidâ Martialis, & Petronij lectione, nervoſam & virilem Dialecticam amplecterentur; neq; compendia doctrinæ, & rivulos ſectarentur; ſed perenni *Ariſtotelis* fonte ſe totos imbui & perfundi velint. Apagete liberales illiberales omnes diſciplinæ, abite meræ Ethnicales atq; gentiles literæ, cum ſtigmate hoc in fronte, quod eſt in calce iſtius verſiculi: *Non ſecundum Chriſtum*. Is ſolus eſt Mel in ore, in aure melos, vt ſuavitèr *Bernardus*. Ego via, veritas, & vita, *Iohan.* 14. 6. Via vitæ, veritas viæ, & vita veritatis. Vana & inanis eſt omnis ſcientia, quæ non eſt aut objectiuè de Deo, aut ordi-

ordinativè ad Deum, aut terminativè in Deum. A Deo, per Deum, ad Deum. A Deo, quia primum principium essentiæ, simul atq; scientiæ. Per Deum, quasi infallibile medium. In Deum, quia finis vltimus. In hoc centro invisibili, indivisibili sit & hoc tempore, & in æternum quies.

Estote igitur Pythagorei Deo si ipse dixerit, Peripatetici cœlo, mundo Cynici, Sceptici hereticis, semper autem verè Academici modesti, sobrij, & studijs strenuè incumbentes.

A Deo hoc vestro optimo, Maximo, nemo hominum vos abducat, avolent quantum volunt, leves paleæ; seducat Hæreticus mulierculas onustas peccatis; decipiat petulcos & luxuriosos scurras, qui mane confitentur, vt noctem liberiùs incestare possint; vexet insanos peccatores, qui relictis Christi meritis plaustrum indulgentiarum, & aquæ lustralis Oceanum sibi acquirunt; spoliet miserum *Drureium*, vt eum miserrimè occidat; Vos autem Germanos *Academiæ* matris filios, minora scholarum lumina, literarum delicias, reipublicæ spem, Ecclesiæ semen, cœli hæredes, vos, nemo vos, vnquam deprædetur. State firmi in fide, resistite peccatis, pro veritate, si opus fuerit, vsq; ad sanguinem dimicate, & Deus gloriæ per Christum in regno gloriæ, in æternum vos coronabit. *Cui Deo, trino Vni, Patri, Filio, & Spiritui Sancto sit omnis Laus, Honor & Gloria in sæcula sæculorum.*

AMEN.

FINIS.